



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

XVII. De obseruatione ieuniorum monachis obeunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

Si qui in monasterio conuersi sunt , aut conuer-
ti voluerint , nullatenus exinde habeant licentiam
euagandi , nec , quod absit , vllus eorum coniugem
ducere , aut extranearum mulierum familiaritatem
habere . Nam si , vt supra dictum est , vxorem du-
xerit , excommunicetur , & de vxoris male sociatae
consortio etiam iudicis auxilio separetur . Quod si
iudex ad hoc solatium dare noluerit , excommuni-
cetur . Qui infelix monachus tali coniunctione fœ-
datus , si per cuiuscumque patrocinium se conatus
fuerit defensare , & is qui in hac pertinacitate per-
durat , & illi qui eum exceperint ad defensandum ,
ab ecclesia segregentur , donec reuertatur ad septa
monasterii , & indictam ab abbe , quamdiu ei
præceptum fuerit , agat poenitentiam , & post satis-
factiōnēm reuertatur ad gratiam .

X VI .

Vt mulier intra septa monasterii nullatenus in-
troire permittatur . Si abbas in hac parte , aut præ-
positus negligens apparuerit , qui eam viderit , &
non statim eiecerit , excommunicetur .

X VII .

De ieuniis vero antiqua a monachis instituta
seruentur , vt de pascha vsque ad quinquagesimam ,
exceptis rogationibus , omni die fratribus pran-
dium præparetur : post quinquagesimam tota heb-
domade ex asse ieunent . Postea vsque ad Kalen-
das Augusti ter in septimana ieunent , secunda ,
quarta & sexta die , exceptis his qui aliqua infirmi-
tate constricti sunt . In Augusto , quia quotidie Mis-

ANNO
CHRISTI
567. sæ sanctorum sunt, prandium habeant. In Septem-
bri toto , & Octobri , & Nouembri , sicut prius
dictum est , ter in septimana. De Decembri usque
ad natale Domini , omni die ieunent. Et quia in-
ter natale Domini & epiphania omni die festiuita-
tes sunt , itemque prandebunt. Excipitur triduum
illud , quo ad calcandam gentilium consuetudi-
nem , patres nostri statuerunt priuatas in Kalendis
Ianuarii fieri litanias, ut in ecclesiis psallatur, & hora
octaua in ipsis Kalendis circumcisiois Missa Deo
propitio celebretur. Post epiphania vero usque ad
quadragesimam ter in septimana ieunent.

XVIII.

Itemque pro reuerentia domini Martini , vel
cultu ac virtute , id statuimus obseruandum , vt
tam in ipsa basilica sancta , quam in ecclesiis nostris,
iste psallendi ordo seruetur. Ut in diebus festis ad
Matutinum sex antiphonæ binis psalmis explicen-
tur : toto Augusto manicationes fiant , quia festiui-
tates sunt & Missæ sanctorum : Septembri septem
antiphonæ explicentur binis psalmis : Octobri octo
ternis psalmis : Nouembri nouem ternis psalmis :
Decembri decem ternis psalmis : Ianuario & Fe-
bruario itidem usque ad pascha. Sed ut possilitas
habet , qui facit amplius pro se , & qui minus , ut po-
tuerit. Supereft ut vel duodecim psalmi expedian-
tur ad Matutinum : quia patrum statuta præcepe-
runt , vt ad Sextam sex psalmi dicantur cum alle-
luia , & ad Duodecimam duodecim , itemque cum
alleluia. quod etiam angelo ostendente didicerunt.
Si ad Duodecimam duodecim psalmi , cur ad Ma-